

Tanquam ad latronem venistis cum gladiis et fustibus
Fuit jam namque tempus, vos allevavit (16) in omnibus :
Modo vero surrexistis adversus me consilium.
Nescio pro (17) quid causam vultis me occidere.
Generacio crudelis (18) veni interficere,
Ecclesie que sanctis Dei venio diligere,
Sanguine veni vindicare, quod super terram fusus est.
Kalidus ille, temptator (19) ratum adque nomine
Coronam imperii sibi in caput ponet (20) et dicebat populo :
Ecce sumus imperator : possum (21) vobis regere.
Leto animo habebat (22) de illo quo fecerat.
A Demonio (23) vexatur, ad terram ceciderat.
Exierunt multæ turmæ videre mirabilia.
Magnus Dominus (24) Jesus Christus judicavit judicium.
Multa gens paganorum exit in (25) Calabria,
Super (26) Salerno pervenerunt possidere Civitas.
Inratum (27) est ad sancte Dei reliquie
Ipse regnum defendendum, et alium requirere.

(16) Pro *allevavi*. Beneficia innuit in Beneventanos collata.

(17) Elegantiæ Tullianæ. Scribe *pro qua causa*.

(18) Veni illum interficere, qui huc venit, ut ecclesias sanctas Dei e Saracenorum jugo eriperet. Iostium tuorum sanguinem, qui super terram fusus est, veni vindicare.

(19) Quis *temptator* iste? Num Adelgisus, an Seodan, aut alius quisquam? Noctem faciunt verba illa *atum adque* [pro atque] nomine.

(20) Pro *ponit*.

(21) Latine volens efferre Italicum *vi posso regere*, ignoravit, an illud *vi* accusativo responderet potius quam dativo.

(22) Pro *abibat*, ut puto, lætus de illo, quod fecerat.

(23) Et hic incertum, fueritne Adelchis princeps, in Seodan, vexatus a dæmonio.

(24) Scriberem *domnus*, ut mensura prioris versiculi rectius procederet. Sed leges syllabarum video alibi neglectas. Scribendum quoque foret *judicat judicium*.

(25) Pro e Calabria.

(26) Eveniente supra memorato anno 871 Salernum obsidione pressum est a Saracenis, quam solvere demum coacti sunt, regresso adversus illos Ludovico Augusto. Pro *possidere* scriberem *obsidere*.

(27) Stropha hæc spectans ad litteram I supra consideratur. Nescio an suo loco sit restituenda. Videtur autem hic innui sacramentum quo sese obstrinxit Ludovicus, se *vindictam aliquam ex calumnia, quam tunc patiebatur, nunquam exacturum*, ut scribit Regino. Cæterum manca est hæc stropha, et aliæ integræ fortasse desiderantur: neque enim rhythmus per reliquias alphabeti litteras progreditur.

CARMEN DE JOSEPH PATRIARCHA

(Edidit D. OZANAM, *Documents inédits pour servir à l'histoire de l'Italie*, etc., p. 46, ex cod. Vatic. n. 3325.)

Joseph, Deo amabilis
 Patri dulcis et habilis,
 Puer formose indolis
 Et gratie multiplicis!...
 Hinc ipsi nova somnia
 Celi promebant sidera,
 Ad futuri indicia,
 Ipsi quasi supplicia...
 Intentus est auspicio

Ac si Dei negotio;
 Fraternalis livor invidio
 Advertit sed hoc animo
 Joseph domi residens,
 Rei private providens,
 Jubetur mox invisere
 Cunctane gerant prospere...
 Nec mora: ut conspiciunt;
 En Somniator, aiunt:

Necem fertè, ut parent
 An juvarit quod somniat...
 .. Culpam vitant sceleris,
 Ne criminentur sanguinis,
 Sumpto pondo numismatis,
 Sic vendunt Agarenicis...

Segardus hoc dictamen fecit.